



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima**

**Martini, Martino**

**Monachii, 1658**

Vigesimusquintus Imperator. Uuyeus. Imperavit annis IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11848**

quicquid agerent. Nec mirum. Ipse, quid ageret, ignorabat, libidinis mancipium; à quâ ita captus erat, ut in ætatis flore nimiam venere sibi mortem accelerarit. Sine prole decessit, imperio ad fratrem devoluto.

## VIGESIMUS QUARTUS IMPERATOR K E N G T I N G U S.

Imperavit annis XXI.

**P**enes hunc potestas unum & viginti annos fuit. Quomodo eam habuerit, aut quid egerit, nil proditum invenio.

*Cyelo 25. anno  
39. ante Chriſt.  
Anno 1219.*

## VIGESIMUS QUINTUS IMPERATOR. U U Y E U S.

Imperavit annis IV.

**U**YEUUS KENGTINGI filius, homo scelestissimus & sacrilegus idololatriam invehere voluit, & homines, ut numen, adorari. Fortè hominem quendam ignotum perinde ac vanum obviã habuit; à quo nescio quibus præstigijs delusus, ab omnibus eum velut deum sive spiritum haberi jubet. varijs artibus ad gloriam ei conciliandam usus. Inter alias hac etiam indoctæ multitudini imposuit. Homines aliquot ei convivere jussit, ac de re magicâ exquisitis rationibus cum eo certare, ut illius offucijs victi & divinum aliquid in homine suspicientes, nomen ipsius ubique celebrarent. At sæpe risum potiùs præstigator, quàm laudem tulit. Quippe non modò nihil divinum, sed nec mediocris in eo sagacitas erat. Identidem igitur à vero deerrans & victus ipse, Imperatori stomachum movit, tam longè à destinatione suâ se lapsum frementi. Nec diu factum; quâ levitate hominem deum putarat, eadem abjectum, & probris omnibus maledictisque vexatum interfecit. Iram deinde in cælum vertit, ut à deo suo aversum, sagittis ipsum petens. Atque ut sauciâ crederetur spiritus cælestes, saccos tres penetrabiles rubro liquore plenos suspen-

*Cyelo 25. anno  
60. ante Chriſt.  
Anno 1198.*

*Cælum sagittis petitum.*

suspendit in aëre, qui specie cruoris inde rorantes, essent indicio, deum ac spiritus esse reverà peremptos. Sed qui stolidè Cælum atque sacrilegè petijt, è cælo, dum esset in venatione, non bruto ictus fulmine interiit. A Sinis omnium flagitiosorum postremus & exlex inde dictus, ita animum inducentibus, non nisi sceleratos & perditissimos percussit de cælo, bonos innoxios esse. Tradunt etiam idcirco superis infestum fuisse, quòd fortuna nonnunquam suis rebus obstante uteretur. Hinc in ultionem amens excanduit, & Cælo se imperare posse credens, qui in homines dominaretur.

Eodem tempore, quæ ad Orientem vergunt insulæ perquam frequenter habitari coeptæ à Sinis, eò colonias ducentibus.

---

## VIGESIMUSSEXTUS IMPERATOR

### TAITINGUS.

Imperavit annis III.

*Cyclo 26. anno  
4. ante Christi-  
sum 1194.*

**T**AITINGO UUGEI filio continens cum YENE regulo intercessit bellum; quod morte præoccupatus, non confecit. Ceterùm YEN regnum erat, ubi PEKING hodie, in eadem nempe provinciâ.

---

## VIGESIMUSSEPTIMUS IMPERATOR

### TIYEUS.

Imperavit annis XXXVII.

*Cyclo 26. anno  
7. ante Christi-  
sum 1191.*

**T**IYEUS TAITINGI filius imperium unâ cum bello propagando per manus accepit. Quia & novum subinde natum, ut ipsi felix sic YENI exitiale fuit. KILIEUS enim TAITINGI legatus bello strenuus, hostilibus copijs, quæ tres exercitus æquabant, deletis, captis totidem eorum ducibus, regnòque YENIS occupato, exutum potestate regem in ordinem redegit. Quâ victoriâ lætus Imperator, collaudatum KILIEUM Reguli beneficiarij dignitate exornat, ignarus, quantam familiæ suæ pestem arcesseret, nec in impetu gaudij